

delitatem se polluant: iterum autem propterea, quia rempu-
blicam ambitionis insimulant, quæ profecto nunquam Pisas
sui juris facere concupivit, sed tantum libertati restituere,
quemadmodum se facturam una cum ipsis initio spo-
pondisset.

His igitur atque aliis unius Ludovici artibus (nunquam enim quiescebat) cum suum magnopere Florentini exercitum autumni mensibus amplificavissent, reipublicæ autem copiæ multis essent partibus attenuatae, Paulo imperatore Butrium aggressi per deditioñem oppidum capiunt: eo tamen ita capto, omnibus tormentorum magistris, ne amplius exercere artem possent, manus dexteræ præciderunt, suaque cujusque collo appensa eos dimiserunt. quorum pars ad urbem veniens se se Patribus commendavit. Patres quoad viverent, stipendium singulis cum vacatione omnium munerum tribuerunt. illi manibus ferreis fabrefactis se ad artem reddituros, & reipublicæ usui futuros, suasque injurias, si Pisas remittantur, vindicaturos, fidem Senatui fecerunt. Auxit Patrum curam exercitus instaurandi Butrium captum: itaque Baliones, familiam Perusinam magnopere militarem, antiqua necessitudine cum Ursina Romanorum gente consociatam atque conjunctam, equites cataphractos centum quinquaginta pollicentem, Senatus conduxit, qui per suos fines & Senarum agrum Pisas proficiscerentur. Eo tempore Petrus Medices cum se viæ dare vellet, ut in fines Florentinorum contenderet, in febrim incidens substitit. Interim Paulus omni cum exercitu ad Pisanum Vicum castra posuit, oppugnandi oppidi causa: quod cum plures dies tormentis percussisset, atque ad muros milites adduxisset, sœpe cum clade repulsus, oppidanis acerrime propugnantibus, tandem oppidum per deditioñem capit. Ejus oppugnationis tempore accidit, ut Veneti quoque castellum Pisanorum, in hostium potestate redactum, in quo erant milites ducenti quinquaginta, noctu aggressi uno impetu expugnaverint. quo successu incitati, paulo post ad castellum Pisano Vico proximum item noctu

Florentino-
rum crude-
llitas in ca-
privos.

Rerum Ve-
netarum in
Etruria for-
tuna va-
ria.

cum